


196 Lindi, fragmentum arae vel basis parvae apud Trollopium olim, nunc in museo Britannico.

R G

Descripsi, sed in loco obscuro non plane distinxi; contulit Murray, cuius lectionem exhibeo.

197 Mansfield Woodhouse, Nottinghamshire, inter Lincoln et Chesterfield, cum sepulcorum duorum reliquiis rep. sunt a. 1787 fragmenta tituli sepulchralis haec



H. Rooke Archaeologia 8, 1787 p. 372.

XIX. DANVM? (Doncaster), CAMBODVNVM? (Slack prope Stainland, acc. Greetland), OLICANA? (Ilkley).

Accedit Adle prope Leeds.

In territorio Brigantum (cuius deam bis ibi reperimus in titulis nominatam, n. 200 203) et ab Eburaco versus meridiem et orientem, in Yorkshire comitatus parte occidentali (West Riding) oppida aliquot sita fuisse tituli ibi reperti docent una cum testimoniis scriptorum veterum. Ea hoc capite coniunxi.

In Doncaster, ubi repertus est titulus unicus (n. 198), non sine probabilitate ponitur Danum itinerarii (p. 475, 5. 478, 8) a fluvio cognomini ita dictum et in via Londinio Eburacum situm, cuius superesse dicuntur vestigia non dubia, velut area castrorum (cf. Goughs Camden 3 p. 235. 271). Praeter scriptores Eburacenses, quos composui capite XXII, titulum illum referunt I. Wainwright, E. Miller, I. Hunter libris ad n. 198 citatis. Notitia ibi ponit praefectum equitum Crispianorum (p. 113* 3 Böck.). — In Sheffield urbe comitatus Eburacensis maxime meridionali praeter diploma militare a. 124 in Riveling prope Stannington repertum et olim ibi servatum Romani nihil videtur prodiisse (cf. Ios. Hunter Hallamshire the history and topography of the parish of Sheffield. Lond. 1819 fol.).

In Slack prope Stainland et in Greetland ad fluvium Calder (inter Halifax et Huddersfield oppida) castrorum Romanorum vestigia, item reliqua vitae Romanae testimonia non pauca reperta sunt (cf. Goughs Camden 3 p. 237. 274 et I. Hunter Archaeologia 32, 1847 p. 16 ss. on the site of Cambodunum; item archaeol. journ. 24, 1867 p. 289). Castra illa probabiliter item fuisse putantur Cambodunum mansio itinerariorum (Antonini p. 468, 6, Campoduno cod. Rem. et Vatic.; Camulodono Ravennas 5, 31 p. 430, 10) et Καμουνλίδουνον Brigantum apud Ptolemaeum (2, 3, 17). Tituli ibi reperti sunt tres (n. 199. 201. 202), militares duo tertiusque indicans opus aliquod factum a centuriis legionis sextae Eburacensis.

Quartus deae Victoriae Brigantiae (n. 200) inde potest ablatum esse ad vicinam Greetland; sed ibi quoque aliam fuisse stationem militarem tegulae docent ibi repertae inscriptae nomine cohortis alicuius IV Bre aliunde non satis notae. Atque hic quidem titulus (n. 200) iam CAMDENO aliisque saeculi XVI testibus notus erat, velut auctori Iosephi Hunter; per Cottonem ad Connington et deinde Cantabrigiam translatus visus est a scriptoribus multis, inter quos est I. Crabtree historiographus urbis Halifax. Reliquos servaverunt auctores epigraphici soliti.

In Adle (s. Adel, Addel, Addle) oppido parvo prope Leeds urbem hodie magnam tituli item pauci prodierunt a THORESBY et WHITAKER potissi-

imum servati, quorum libros indicabo infra. Cum his coniunxi memoriam litterae unius inscriptae lapidibus pontis Romani supra Cock rivum prope Tadcaster (n. 207), quam Calcariam itinerarii (p. 468, 5) esse putant; tituli praeterea ibi reperti non sunt. In ipsa Leeds museum extat societatis philosophicae et litterariae, quae etiam commentarios edidit (transactions of the philosophical and literary society of Leeds. Vol. I p. 1 Lond. 1837 8.; plura non vidi); servari in museo illo supellectilis Romanae specimina ibi reperta non pauca (cf. Iac. Wardell the antiquities of the borough of Leeds described. Lond. 1853 8.), titulos vero nullos affirmaverunt mihi amici; ipse enim non adii. Similiter in Wakefield oppido eius regionis non parvo vestigia Romana prodierunt (cf. Archaeologia 17, 1814 p. 333; 19, 1816 p. 412; 24, 1832 p. 349; W. H. Leatham lecture on Wakefield in Halliwells Archaeologist I 2, 1842 p. 180 ss. et transactions of the Leeds philos. soc. p. 80).

Ilkley, ab Adle occidentem versus ad flumen Wharfe situm, propter nominis similitudinem satis longinquam cum Ὀλίκανα Brigantum oppido, cuius Ptolemaeus solus (2, 3, 16) meminit, componitur. Tituli ibi inventi tres (n. 208—210) inde fere a saeculo altero exeunte castra ibi habuisse cohortem II Lingonum indicant; quam cohortem in Britannia militasse Hadriano imperante ex diplomate (a. 124) scimus. Redit eadem in titulo in Moresby Cumbriae reperto (n. 359); in notitia Congavatae ponitur praefectus eius (p. 114* 20 Böck.), de qua dixi infra cap. XXXII. Noti erant tituli illi ibi reperti iam CAMDENO eiusque auctoribus et deinde HORSLEIO, post quem nemo eos contulit, si quidem adhuc extant.

Ex orientali itemque ex meridionali Yorkshire comitatus parte (East Riding) tituli nulli prodierunt, quanquam ibi quoque vitae Romanae vestigia variis locis detecta sunt multumque disputatum est a doctis Anglis de oppidorum antiquorum, quae itineraria memorant, collocatione (cf. Goughs Camden 3 p. 246. 310; Th. Thompson Ocellum promontorium or short observations on the ancient state of Holderness. Hull 1821 2 voll. 8.; Archaeologia 25, 1834 p. 127 ss.; 30, 1844 p. 458 ss.; Rob. Knox descriptions geological, topographical and antiquarian in East Yorkshire cet. Lond. 1855 8.). In Hull, quae est eius regionis civitas hodie maxima, extat societas litteraria et philosophica (cf. gent. mag. 27, 1847 p. 185); neque vero num quid ab ea publici iuris factum esset, quod huc pertineret, resciscere potui. Titulum unum Eburacensem (n. 248) eo pervenisse neque vero servatum esse dixi ibi.

198 Doncaster, rep. a. 1781, in digging the cellars of Mr. Jarratts house; est ara alta circiter ped. 2 dig. 6; servatur in museo Eburacensi.

	MATRIBVS	
vas	M · NAN	
floribus	TONIVS	urceus
repletum	⊙ B Ⓞ AL	
	5 V · S · L · M	

Contuli. Archaeologia 7, 1781 p. 420 tab. 30 (inde Goughs Camden 3 p. 272); H. S. gent. mag. 51 1781 p. 361 aeri incisa; Astle antiquarian repertory 3 p. 166; Ioh. Wainwright an historical and topographical view of the Wapentake of Strafforth and Tickhill [Sheffield 1826 4.] p. 35; E. Miller history of Doncaster (1803) p. 36. 265; Ios. Hunter gent. mag. 98, 1828 vol. II p. 235, history of the deanery of Doncaster 1 p. 3 (inde C. R. Smith collect. ant. 4, 1857 p. 53); catalog. mus. Ebur. p. 35, 27.

4 C. R. Smith cogitavit de matribus . . . orbi(s) to[t]al(is); perperam sine dubio. Matribus M. Nantonius Orbital(is) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).